
PRÆSCRIPTIONUM CELSI

EXPOSITIO BREVIS.

MEDICINAS CELSUS internas & raro & cautè dabat, curationem plerumque in diæta, lavationibus, unctionibus, frictionibus & exercitiis ponens.

Vomere sæpe (1) solâ aquâ calidâ facit, idque hyeme potius quâm æstate, biliosos præcipue, qui magis obesi, quâm macilenti sunt; tum eos, qui multùm comedunt, & malè concoquunt; (2) veratrum tamen album, in uno insaniæ genere pro vomitu ciendo dat, & in alio veratrum nigrum pro purgante præscribit, non adscriptâ dosi. Vomitus (3) quan-

(1) Lib. I. Cap. III. Vomitus utilior est hyeme quâm æstate, nam tum & pituitæ plus & capitis gravitas major subest. Inutilis est gracilibus & imbecillum stomachum habentibus: utilis est plenis & biliosis omnibus, si vel nimium se replerunt vel parum concoixerunt.

(2) Lib. III. Chap. XVIII. In tristitia nigrum veratrum dejectionis, in hilaritate album ad vomitum excitandum dari debet.

(3) Lib. IV.

quam repetitos nec in *hemorrhagiis* noxios
esse scribit. Autumnum, tempestatem op-
timam judicat, quâ *veratrum* album da-
retur.

Purgantia & clysteres parvâ æstimatione
habuit, veteresque nimii eorum usûs in-
cusavit: integrum locum (1) apud aucto-
rem legit. *Aloen* (2) cunctis purganti-
bus misceri volebat.

Quod ad *Opiatas* attinet (3), aquam
in qua *papaver* aut *hyoscyamus* decocta
fuerit, saltem auctoritate aliorum Practi-
corum, probare videtur.

Venæ sectionem in infantibus (4), se-
nibus & gravidis improbat, cuius univer-
salis regulæ exceptiones tamen plurimas
subjungit. Casus varios pertinentissimè
adfert, qui venæ sectionem absolutè re-
quirebant, debitasque docet cautiones,

(1) Lib. II. Cap. XII.

(2) Ibidem. Sed medicamenta stomachum ferè
lædunt, ideoque omnibus catharticis *Aloe* miscen-
da est.

(3) Lib. III. Cap. XVIII. Quidam somnum
moliuntur potui dando aquam in qua *papaver*
aut *hyoscyamus* decocta sint.

(4) Lib. II. Cap. X.

S 12 PRÆSCRIPTIONUM CELSI
ne tendo aut arteria feriatur. Sanguinis
emittendi copiam sic definit, ut vena ante
animi deliquum obturetur, quam postero
die iterum aperire jubet. De venæ sectione
illud singulare præcipit, si sanguis bonus
sit, id quod ex colore judicari debeat,
venam statim claudendam; verū addit,
hāc cautione peritum Medicum non indi-
gēre, quia ante venæ sectionem casus no-
verit, in quibus prodest.

In Hydrope (1), *laetucā marinā* & *cepā*
marinā, tanquam diureticis utitur.

Posteriorem (2) internè ipsum adhi-
buisse nullibi reperio, decocto autem ex
ea in modum fomenti utitur. Plura præter
hāc diuretica enumerat.

Lac in consumtionibus (3), non defi-
nitā ejus copiā, imperat; idem in capitī
doloribus, febribus acutis, quas sitis co-

(1) Lib. III. Cap. XXI.

(2) Lib. II. Cap. XXXI.

(3) Lib. III. Cap. XXII. Lac quoque quod in
capitis doloribus, & in acutis febribus, & per-
eas facta nimia siti, ac, sive præcordia tument,
sive biliosa urina est, sive sanguis fluxit, pro-
veneno est; in phthisi, tamen sicut in omnibus
longis difficultibusque febribus, recte dari potest.

EXPOSITIO BREVIS. 513
mitatur, aut quando urina biliosa, ut ve-
nenum fugere juber.

Modum (1) provocandi in febribus su-
dorem liquoribus frigidis, non improbare
videtur, & Medicum quemdam post *Hip-*
pocratem fuisse narrat, qui *febricitantes*
calidis integumentis operiebat, & quām
primūm febris remitti paullulum cōperat,
aquam frigidam potui dabat, donec su-
dorem provocāset. Si non confestim su-
dabant, plus etiam frigidæ ingerebat,
quoad scopo potiebatur. Depulsâ *febri*,
carne ægrotum suillâ & vino alebat: & si
non omnino a febri eum liberaverat, aquâ
salsâ purgabat: neque aliâ medendi ra-
tione hunc usum fuisse.

In describendis (2) frictionibus & cor-
poris exercitiis, accuratus est, eorumque
naturales effectus cum summo judicio des-
cribit. Frictiones a quinquaginta ad du-
centas, pro ægrotantis robore præscribit,
quo totidem strigilis itus & reditus signi-
ficari putaverim.

(1) Lib. III. Cap. IX. — Ei intrà hæc omnis
medicina erat.

(2) Lib. II. Cap. XVIII.

514 PRÆSCRIPTIONUM CELSI

Medicamentorum doses justo temperamento contineri videntur, nisi forte in locum aliquem depravatum incidas: Exempli gratiâ.

Contra Colicam confeclio.

Costi (1), *anisi*, *castorei*, † *singulorum* P. *denariorum* III. = 3 dr. 7 $\frac{1}{2}$ gr.
Petroselini denariorum III.
Piperis longi & rotundi, singulorum P. II
= dr. 2. gr. 5.

Papaveris lachrymae, junci rotundi, myrræ, nardi, singulorum P. VI. * = dr. 6.
gr. 15. *qua melle excipiuntur. Id autem & devorari potest, & ex aqua calida sumi.*

Hic opium septimam ferè ingredientium solidorum partem pendit.

Contra Asthma.

Mel (2), *galbanum, terebinthina, simul cocta; hujus fabæ magnitudinem quo-*

(1) Lib. IV. Cap. XIV. Notandum est in sequentibus, P. nihil aliud significare quam pondo, & Stellulam * denotare denarium: sic P. * II. idem est quod pondo duorum denariorum.

(2) Lib. IV. Cap. IV.

EXPOSITIO BREVIS. 515
tidie. Hanc præscriptionem alia sequitur,
quam depravatam judico.

*Sulphuris ignem non experti pondo & qua-
drans. = Lib. I. unc. 1. 5 dr. & gr. 17 $\frac{1}{7}$.*

*Abrotoni pondo in vini cyatho teruntur,
= unc. 10. dr. 7. scr. 1. gr. 5 $\frac{5}{7}$ idque te-
pefactum sorbetur.*

Tantam singulorum ingredientium co-
piam unâ vice, multò minus in duobus
vini cochlearibus, dari non posse, primo
intuitu patet; numeri igitur procul dubio
omissi sunt, & pondo temporis tractu in
locum ipsius P. quod cæteræ præscriptio-
nes habent, surrogatum est, stellulaque
* cum suo numero deficit.

*Antidotum Ambrosia nominatum ;
quod Zopyrus Ptolomæo Regi
composuit. (Lib. 5. Cap. 23.)*

Cofi, thuris, masculi, singulorum P. V.

* = dr. 5. gr. 12. + $\frac{12}{49}$.

*Piperis albi P. ** = dr. 1. gr. 2 = $\frac{22}{49}$.

*Floris junci rotundi P. II. ** = dr. 2;
gr. 5.

*Cynamomi P. III. ** = dr. 3. gr. 7 $\frac{1}{2}$.

*Casia nigra P. IV. ** = dr. 4. gr. 10.

Y vj

516 PRÆSCRIPTIONUM CELSI

Croci Colicii P. * IV. = dr. 4. gr. 10.

Myrrhae quam Staten nominant P. V. *
= dr. 5. gr. 12.

Nardi indici P. * V. dr. 5. gr. 12.

Quæ singula contrita melle cocto excipiuntur: deinde ubi utendum est, id quod Aegyptia fabæ magnitudinem impleat, in potionē vini diluitur.

Catapotium ad somnum accersendum.

(Lib. V. Cap. XXV.)

Papaveris lachrymae, galbani, singulorum P. I. * = dr. 1. gr. 2 $\frac{1}{2}$.

Myrrhae, castorei, piperis, singulorum P. II. = dr. 2. gr. 5.

Ex quibus quod ervi magnitudinem habet, satis est devorasse.

Hic ingredientium octavam solùm partem opium pendit.

Catapotium valentius ad somnum.

(Ibid.)

Alterum stomacho pejus, ad somnum valentius, ex his fit: Mandragoræ P. *. apii seminis, item hyosciami seminis, singulorum P. * IV. = dr. 4. gr. 9 $\frac{4}{5}$. que ex vino teruntur.

*Catapotium ad plurimos dolores ,
per somnum levandos.* (Ibid.)

*Silis , acori , ruta sylvestris seminis ;
singulorum P. I. * = dr. 1. gr. 2 $\frac{1}{2}$.*

*Castorei , cinnamomi , singulorum P. II
* = dr. 2. gr. 5,*

*Papaveris lachrymæ , panacis , radicis
mandragoræ , malorum aridorum , junci ro-
tundi floris , singulorum P. II. * = dr. 2.
gr. 5.*

Piperis grana LVI. = scr. 2. gr. 2 $\frac{1}{3}$.

*Hac per se contrita ; rursus instillato sub-
inde passo , simul omnia teruntur , donec
crassitudo sordium fiat : ex eo paullum aut
devoratur , aut aquâ diluitur & potui datur.*

*Præter passum , ingredientium plusquam
nonam partem opium facit.*

*Passum , vini quædam species erat , ex
uvis passis confecta , & ut videtur , aliâ
ratione , quam quidem nostra vina facti-
tia , præparata. Dulce erat validumque.*

*Catapotium ad inducendum somnum ;
quem vulva dolens prohibuit.*

(Lib. V. Cap. XXV.)

*Croci P. II. * = dr. 2. gr. 5.*

*Anisi , myrrha , singulorum P. I. * =
dr. 1. gr. 2 $\frac{1}{2}$.*

§ 18 PRÆSCRIPTIONUM CELSI

Papaveris lacrymæ P. IV. * = dr. gr. 9 $\frac{4}{5}$.

Cicutæ seminis P. VIII. * = unc. i
gr. 19 $\frac{3}{5}$.

Miscentur, excipiunturque vino vetero;
& quod lupini magnitudinem habet in tribus
cyathis aqua diluitur. Id tamen in febre pe-
riculosè datur.

Opium, ingredientium quartam partem
exæquat.

Catapotium Athenionis ad Tuffim.
(Ibid.)

Myrrha, piperis, singulorum P. I. * =
dr. i. gr. 2 $\frac{1}{2}$.

Castorei, papaveris lacrymæ, singulo-
rum P. I. * = dr. i. gr. $\frac{1}{2}$.

Quæ separatim contusa, postea jungun-
tur, & ad magnitudinem fabæ nostræ, bina
catapotia manè, bina noctu dormituro dan-
tur.

Opium, ingredientium quarta pars est.

Quòd autem dosis opiatæ quantitas non
æquè pensa fuerit, ac ingredientium, mi-
randum est: haud rarò fabæ magnitudine
definitur; cujus tres species proferuntur,
faba Ægyptia, Romana & Lupinum. Ægyp-
tiam admodum parvam fuisse oportet; in
Mithridatio enim, ut a Celso describitur,

dosin fabâ *Egyptiâ* sive *ervo* finit, parvî
pisi specie: præterea rotundâ ferè formâ
fabam fuisse, exinde liquet, quòd pilulas
ad ejus speciem effingebant; & fabas quòd
minores, eò rotundiores esse vulgaris ob-
servatio est. *Phaseolum*, fabam vulgò
Romanam, æquè ac *Gallicam*, interpre-
tantur: verùm licet faba in *Athenionis ca-
tapotio* minima assumatur, tamen doses
quatuor, in viginti & quatuor horis, va-
lidissimæ forent, quoniam ingredientium
quartam partem *opium* constituit. Quatuor
solùm granorum dosis, cuivis haustui
granum attribueret; quo inducor, ut non-
nulla in hac compositione ingredientia
omissa putem. Opium cum aliis calefa-
cientibus veteres conjungere solebant.

*Catapotium Heraclidis Tarentini ad
Tussim & Somnum.* (Lib. V.
Cap. XXV.)

*Croci P. I. ** = dr. 1. 2 $\frac{1}{2}$.

*Cinnamomi, cassorei, papaveris lacrymæ,
singulorum P. I. ** = dr. 1. gr. 2 $\frac{1}{2}$.

*Piperis longi, costi, galbani, singulo-
rum P. ** = dr. 1. gr. 2 $\frac{1}{2}$.

Opium, ingredientium octavam partem
facit.

Colicæ Cassii Medici.

Croci, anisi, castorei, singulorum P. III.

* = dr. 3. gr. 7 $\frac{1}{2}$.

Petroselini P. IV. = dr. 4. gr. 10.

*Piperis & longi & rotundi, singulorum P. V. * = dr. 5. gr. 12.*

*Papaveris lacrymæ, junci rotundi, myrræ, nardi, singulorum P. VI. * = dr. 6 gr. 14.*

Quæ melle excipiuntur : id autem & de vorari potest, & ex aqua calida sumi.

Opium, ingredientium octavam circiter partem facit.

Adversus difficultatem urinæ. (Ibid.)

Piperis longi, castorei, myrræ, galbani, papaveris lacrymæ, croci, costi, uncia singula = dr. 7. gr. 17 $\frac{1}{7}$.

Styracis, resina terebinthina pondo sextantes = unc. 1. dr. 6. scr. 1 gr. 14 $\frac{2}{7}$.

Mel absinthi, cyathus (ferè duo cochlearia.)

Ex quibus ad magnitudinem fabæ Ægyptia manè & cœnato dari debet.

Præter mel, opium ingredientium undecimam partem facit.

